Musica Incantans,

SIVE

POEMA

EXPRIMENS MUSICÆ

VIRES,

Juvenem in Insaniam adigentis,

ET

Musici inde Periculum.

Authore ROBERTO SOUTH Art. Bac.
Ex Æde Christi.

OXONII,
Typis *W. H.* Impensis *G. West*, *Anno Dom.* 1667.

ARGUMENTUM.

Juvenis quidam audita, quam ipse enixe impetrarat, Harmonia, in Insaniam actus est, & seipsum in Mare Præcipitavit: Citharœdus Judicio sistitur, accusatur Homicidii; ex Musico, tum Orator factus, seipsum defendit, & absolvitur.

NON, Ego, Cæsareas Acies; non *Arma virumq;*
Sed Citharam, Plectrumq; cano: nec inutile Numen
Invoco in auxilium: me vivus Anhelitus ille,
Quo solet inflari vocalis Tibia, pleno
Inspirat Genio: Sed quæ depingere Vocem
Dextra potest, Oculisq; Ecchо signare Videndam?
In sua poscebant antiqui carmina Vates

Centum *Ora & Linguas*: nos Centum poſcimus Aures,
Totque etiam *Voces*; quis enim laudare Choraulem,
Et Lyricam poterit, niſi *Centum vocibus*, artem?

Doctus in Arcadicis vivebat Muſicus oris,
Clarus circa urbes, & famæ Voce Lyræque;
Illum lætus Hymen, plauſu, juvenumque Choreis
Vicinâ quondam latè celebratus in urbe,
Cum Lyricis aliis, tanta ad Solennia traxit,
Spe pretii, pariterque dapis; pro more jugales
Ut caneret Ritus: nam quamvis nubere Muſa
Ignoret, celebrare tamen Connubia gaudet:
Et ſi Muſa ſilet, torpent epulæque Venuſque;
Bacchus & ipſa Ceres frigent ſine Apolline: feſta
Quis meliùs Lyrico celebret Convivia, qui cum
Voce ſuâ traxiſſe feras, Volucreſque ſolebat,
Non tantùm Citharâ novit Celebrare, ſed ipſo
Inſtaurare etiam potuit Convivia Cantu?

At tandem vergente die, feſtoque peracto,
Nota reverſurus cùm jam per prata rediret,
Elyſiis ſpatians olim velut Orpheus agris,
Incidit in Juvenem, qui poſt tranſacta ſerenus

Tempora

Tempora cœnandi, vicina exibat in arva :
Cùi Juvenis (quis enim ſua non habet Obvia Fata?)
Inſcius occurrit : Venientem agnoſcit ab Ore,
Jamque Videre juvat, quia ſic Audire placebat :
Heu Miſer ignarus nimiùm, quòd noſter hic *Orpheus*
Non tam *Saxa trahet* Secum, quàm triſte Sepulchrum!

At citò colloquio facto, dictâque ſalute,
Aggreditur Juvenis precibuſque, & laude Choraulem,
Et Citharæ Vocem, facundâ Voce precatur :
Sollicitè ſua damna rogans : pretiumque petenti
Spondet, & oblato ſua Fata paciſcitur Auro.

Tum Fidicen, ſumptâ Citharâ, trepidantia tentat
Fila manu, plectroque priùs quàm pangere carmen
Incipit, immutat chordas, & in ordine fili
Explorat cujuſque ſonum, cernitque peritus
Concordare fides quamvis diverſa ſonantes ;
Tam placida, & Concors fuit hæc *diſcordia fratrum*.
Sæpè levi digito dum ſtringit fila, feritque
Tranſiliente manu, minimè meditatus, & Ultro
Incidit in Cantus, & prodit Neſcius artem.

Sic

Sic instruxit Ebur, suntque hæc proludia cantûs
Artifices testata manus; dum nititur omnes
In Carmen citharæq; suosq; intendere Nervos.
Sic postquàm instituit chordas in carminis Usum
Aptatas; atque Arte Viam patefecit ad Artem:
Altiùs insonuit, vox Crescit & instar Alaudæ,
Dum canit, Exurgit. Digito Chelys icta loquaci
Sic postquàm sonuit; levâ huic in parte mamillæ
Cor Salit, & peragit Citharâ modulante Choreas:
Non aliter, quàm si salienti pollicis ictu
Percuteret Cordis Fibras, vis tantaq; plectri est,
Ut valeat Filo captivam ducere mentem.
Cumque animo Juvenis Victo succumberet, uno
Concentu Vicit Fidicen, cecinitque Triumphum.
Dextra facit cantum, sonus exit ab ungue, videri
Possit ut à digito fluxisse melodia; Vocem
Ipsa manus profert, arguta Vicaria linguæ.

Non Aures solùm rapuit vis musica, totum
Sed Juvenem; membroq; miser mutatur in omni:
Nunc rubuit Vultus, nunc palluit, utq; solebat
Vox variare sonos, sic hic Variare colores.

Pes ſaltare quidem potuit, ſed victus abire
Non tulit : in Venis ipſum Saliiſſe cruorem
Plus ſolito aſpiceres : ita demum quilibet artus,
Si non audire, at poterat Sentire canentem :
Denique ſic motus, ſic toto eſt corpore raptus,
Ipſo animata putes ut Corporis Organa Cantu

Anxius intereà, Cæco ſe Verbere carpi
Miratur, Fidicenque Lyræ quos incutit ictus,
Se ſentire putat Juvenis : ſic Verbera ſentit
Quæ non ipſe tulit ; miſero dum Vulnera plectrum
Dat Magico quodam Cantu, pariterq; potenti
Ac Medeo olim permulcet Carmine mentem.
Multa quidem cantat, quæ vel Narrata placerent,
Scilicet imprimis Philomelæ flebile fatum,
Et querulam hiſtoriam referunt modulantia Fila,
Quam Virgo narravit Acu. nunc furta deorum,
Innumeroſque Jovis recinit laſcivus amores :
Sed tamen hæc Juvenis licèt audiat omnia, ſolo
Captus Amore lyræ eſt ; & cum divina canuntur
Furta, rapi à Citharâ potius ſua pectora credit,
Vimque ſibi inferri : quoties hinc fila Choraules
Percutit ; hic geminat, mæſtoſq; reciprocat ictus

Pectora percutiens: sic sensim in corda furorem
Incauta immittit fidicen, mentemque per aures
Evocat.
At postquàm citharæ vim sic Cantando probâsset,
Ipse simul cantat, pleno & modulantior ore
Naturæ pariter Vires conjungit, & Artis.
Vox, fateor, *diversa sonat* lyriciq; lyræq;
Sed sonat intereà Juvenis *Vox una* gementis.
Et quia Conjuncti Cantus Vis fortiùs urget,
Non tulit ulteriùs, sed dum canit ille cruentus,
Concentusque suos citharæ Concentibus addit,
Prorumpit subitò rabies: & Musicus ipso
Enecat afflatu, mortemque effundit ab ore.
Ac tanquam in linguâ clausum cantantis inesset
Nescio quid, linguæ soleat quod inesse Caninæ,
Progignens rabiem, subiti mala causa furoris
Dementat Juvenem; rabiesque infusa per aurem
Invadit Cerebrum, geminiq; potentia cantus
Obruit invalidas aures: hoc ergo furorem
Intulit, auditâ modulantis voce Choraulis,
Credibile est propriâ saltâsse è sede Cerebrum.

Prodit inassueto jam se dementia gestu,
Huc, illuc oculos rotat, ardet, & indice vultu
Attoniti dat signa animi, cerebroq; soluto
Excurrunt profugi ruituro è Vertice Sensus.
Sæpe caput quassat, tanquam Vestigia cantus,
Quæ vel adhuc retinet, quæ mente tenaciter hærent,
Ex animo Excuteret: sæpe ore, & vertice cœlos
Suspicit Erecto, jurans temerarius illuc
Se non venturum, quia dicitur ætheris axis
Circumagi Hermoniâ, & volvi concentibus orbes.
Sic loquitur rabies: celeri mox littora passu
Acer adit, totumque animo jam concipit æquor,
Parque furit pelagi, turbati & pectoris æstus.
Nec fervente freto plùs fluctus spumeus albet,
Quàm spuma, huic madido rabies quam fudit ab ore.
At jam ferales cùm perveniſſet ad Undas,
Fortè fuit Reflexus aquæ; solitoque relapsu
Se tulit, & tanquam scelus hoc foret unda perosa,
Visa fuit regredi, timidoque recedere fluctu.

Constitit hic Amens, & tali Littora Vultu,
Spectat, quali Ajax olim *Sigeia* vidit.

Dumq; memor nimiùm, fixam tenet auribus Eccho,
Lethes optat Aquas, ſed cum contingere Lethen
Non datur, æquoreis Oblivia quærit in undis;
Diluat ex animo ut cantus, denturq; dolenti
Saltem inter mutos ſibi tuta ſilentia Piſces.
Dum ſpectat fluctus, Rabiem, mentiſque tumultum
Comparat Æquoreo; nunc lata per æquora Demens
Ire cupit, Curaſq; animi committere Ventis. (nit,
Multa quidem mala Pontus habet; tamen omnia ſper-
Dum nullas videt hic Citharas: Creſcente furore
Mox amens ubi ſit neſcit; qualique Charybdis
In Gyrum rapiter; tali huic Vertigine fertur,
Corripiturq; Caput, Cerebrumque Natare videtur,
Quamvis nondum ullas, niſi viſu, tangeret undas.
Sæpe timet mortem, ſæpe optat, & Æquoris inſtar,
Nunc Animus Fluxus peragit, dubioſq; Refluxus.
Hæc volvens ſubitò ſe mittit in æquora Saltu,
Et minùs inſanis demens ſe mergit in undis.
Hinc præter Scyllæ Rabiem, furor additus alter,
Acceſſitque mari Rabies nova: fluctibus hauſtus
Frendet adhuc, ultroque licèt modò fata petebat,
Jam tamen oppugnat, certatque obſiſtere morti.
Tandem Vorticibus raptus, victricibus undis

Lymphatus

Lymphatus ceſſit: Citharæque Lyræque valete
Dixit, & acceptum bibulis trahit auribus æquor,
Occluditq; Oculos verè hâc in morte Natantes.

Haud aliter, memini, facilem cùm durior Eccho
Narciſſus fugeret, periturum immerſerat Amens
Dilecti ſe fontis aquis; æqualia fata
Huic quóque contigerant, dulcem furioſior Eccho
Qui fugiens, pariter cecidit fatalibus undis:
Par hic morte fuit, par & novitate furoris,
Et dum proſpiceret vitreum moriturus in æquor,
Vel *ſua Narciſſum* non plus referebat *Imago*

Quem ſic lethiferis occidit muſicus Odis,
Credo hujus dirum primis Natalibus omen
Non fauſtæ *Cecinistis Aves.* In funera Muſæ
Conſpirant; ſic Fata *Novem* ferus armet in Unum.
Verè erat hic Siren, non tam quia Voce ſonorus,
Et liquido æquoreos ſuperans modulamine cantus,
Quàm quoniam Harmoniâ, Sirenum more, Furentes
In mare deducat, cantuque impellat in æquor.

Alter hic Amphion, nam vires artis uterque
Edidit æquales, niſi quòd tamen ille Ferarum
Mulcebat Rabiem ; dedit Hic Cantando Furorem.

Hei mihi! quòd tam dulce melos, plectrumq; Cano-
Non foret innocuum, nec *Ternæ* ſola *ſororis*, (rum,
Sed Citharæ fuerint etiam *Fatalia fila* !
Quà non Verſatur Lacheſis, *levis ictus in aurem*
Si ſit lethalis, valeatque occidere cantus,
Et tenues jugulare ſoni, ſi Vulneret Eccho !
Quin Arcus igitur, Lyricorum Antiſtes Apollo,
Projice, ſi Nervus plus ipſo Vulneret Arcu.
Dum cantu occumbunt proſtrati ; credimus ipſas
Nunc bellare Tubas : nec jam res mira putetur,
Si gallus Superet, ſolùm cantando, Leonem.

O Vox ſæva, necem peragens, & funeris Author !
Quâ non, *Harmonici* crudelior ipſa *Neronis*
Vox fuit, & quâ non ſonat aptior ulla Tyranno :
Talis erit *Fidicen* ſævus *Nero*, funebre cantans
Lethiferumque melos, & cæde notabili carmen.

Hunc

Hunc olim Empedocles, ſi plectro, & voce canentem
Audîſſet, quamvis jam tum properâſſet ad Ætnam;
Fata, neciſque modum mutâſſet, & igne relicto,
Ætnæiſq; rogis, ultro periiſſet in undis.

Si foret hic Paſtor, placidoq; Armenta, gregeſq;
Carmine mulceret, cantuque per avia capras
Cogeret errantes, miri Vi carminis actus,
In freta grex rueret præceps, pluresq; videret
Per mare Phryxus Oves, pelaguſq; immane Natantes.

Si poſt Stagnantem lethali gurgite mundum,
Tertius elapſus, communi è Strage ſuperſtes
Manſiſſet Fidicen, Tritonis numine Salvus;
Et tibi Deucalion ſimili lenire parâſſet
Concentu Curas, etiam ipſe immerſus in *æquor*
(*Crede mihi*,) irrueres, & *Te quoque pontus haberet*.

Ignis Apollinei qui Vi liquefactus in altos,
Icare, concideras fluctus; velociùs iſſes
In medium, Citharâ, compulſus Apollinis, æquor.

Si

Si Cithara occidat, si fila sonantia præstent
Officium gladii: cùm bella Pelasga reliquit,
Sumeret & Lyricum projectâ cuspide plectrum,
Non *arma abjecit*, verùm *Mutavit* Achilles.

At jam Fama loquax, quæ tam memorabile fatum
Et miras citharæ voces, taciturna silere
Non poterat, subito tanquàm Vocalior Ecchо
Auditos iterat Cantus: & ut omnia mendax
Aucta refert; sic & pariter cum cantibus *auget*
Cantantis Crimen; portatq; ad Judicis aures.

Et jam Causidicus, miserandi in fata paratus
Fortiter Accusat, Vexat, certatq; ruentem
Harmoniæ causam, *rauca* Subvertere *Voce*.
Convertens igitur Vultus, ad triste Tribunal,
Concilium rigidum tali Sermone salutat.

Oratio Causidici Fidicinem Accusantis.

DA veniam (*Præses Reverenda exponere paucis*
Hoc scelus; ante tuas quam Musicus occupat aures.
Sistimus adductum huc, mirum Citharæq; Necisque
Artificem, cui non, hominem est Occidere major
Quam Cantare, labor : sed enim non possumus ultra
In Terris Sirena pati, monstrum Æquore majus.
Dulce sonant Citharæ, verum Sonat altius illis
Cædes : nec pariter Cantantis Crimina possunt
Cum levibus transire Sonis : *Se Musicus ipse*
Voce suâ prodit, *proprio condemnat & Ore.*
Si Citharæ hæc vis est ; merito discerpitur Orpheus,
Dignus & Amphi*on tantum* Comes esse Ferarum.
Quod si sic Volucres cantarent, quilibet esset
Vultur ; Voce sua, non Rostro pectora lædens.
Sic struit insidias, mortemque Infernus *hic* Orpheus,
Atque aufert Juveni mentem : qui protinus Amens
Æquor amat, *veluti quædam* Venus esset in illo,
Deceptusque Somo, dulces *tutat* æquoris undas.
Quid faceret Juvenis, quem prensis fata tenebant
Auribus ? audito hoc Cantu, non Dædalus *ipse*

Æquora fugisset, *nisi* Ceram aptâsset ad aures.
Sic nec Terra satis Scelerи, simul adjicit æquor,
Et juvenem mergens, ipsas quoque polluit undas,
Dum late Spatians crimen trans æquora currit.
Sed non ulterius tantum durare sub undis
Sustinuit facinus, surgit, lucetq; per ipsas
Crimen aquas: & justa diu quia pœna Cruentum
Non rapit, ipse fremit Nereus; *quoniamq; moratur*
Vindicta, iratis secum mare murmurat undis.
Si tamen hæc natura lyræ est, ut Musica mergat,
Cur fuit in medio pelago tam tutus Arion?
At Tu, si Juvenem misisti invitus in æquor,
Saltem etiam poteras Cithara Delphina parasse.
Nulla igitur sonti remanet defensio: Jura
Exclamant, contraq; reum juncta omnia Voce
Justitiam resonant: *atq; hæc est Musica Legum.*

Dixit: at hic tanquam damnato quisque timebat
Prolyrico; neque enim quisquam responsa daturum
Crediderat; verùm res hæc miranda fuisset,
Musica si taceat, si *nil respondeat Eccho.*

Nec mora, Clamoſi Præconis Voce citatus,
(Quamvis Harmoniam nullam Vox iſta ferebat,)
Accedit Fidicen trepidans, timideq; labanti (eſſet,
Voce loquens, (tanquam Tremor hic quoq; Muſicus
Artis enim ſæpe eſt *tremulas effingere Voces* ;)
Sic prodit, plectrumque humero lethale ſiniſtro
Suſpendens, Cauſam dicit; Vitamque diſertus
Quam propè Cantando amiſit, Dicendo tuetur.
Haud ſecus ac Gracchus, qui cùm ſuggeſta Patronus
Facundus premeret, citharâ poſt terga Sonanti
Compoſuit Vocem; plectroque docente, loquelam
Formavit Variam. Tandem ipſa ſilentia ſervat
Lex, & *Jura tacent* : Fidicen dum talia fatur.

Oratio Fidicinis ſe defendentis.

DEt Miſero mihi Voce, precor, Sors mitis Eadem
Qua rapui alterius, propriam defendere Vitam.
At quia nulla unquam revocat Palinodia *mortem,*
Et pro Demerſo lacrymas dare, *jure Vocetur.*
In mare fundere aquas : *nulla revocabilis arte*
Sit mea Culpa licet, forſan tamen Arte tuenda eſt.

Et certe cantus morienti impendere, cædem
Non facere est, querula sed deplorare peremptî
Exequias Cithara: Verum quia Carminis Author
Phœbus, & Inventor Citharæ, pro more sub undis
Fertur, & Hesperium tuto descendit in æquor;
Crediderim quod aquas simili ratione faventes
Harmoniæ Dominus, pariterq; Auditor haberet.
Finge tamen nostro se projecisse Furentem
Impulsu in fluctus: hæc Sola est Culpa? quis unquam
Navigat Anticyras, Cerebri medicamina quærens,
Nec tamen intrat Aquas, nec se commiserit undis?
At, bene si memini, Vitæ cum traditur ortus,
Harmoniam esse Animam, Veterum mihi dogmata suadent;
Cædem ergo fecisse Lyra, facilique cruentam
Cantu inferre necem, nimia est cccidere Vita.
Esse tamen Lethale potest audire Canentem,
Cum neque nos unquam Mors ipsa Audita Necaret?
Sed quia Mersus erat, cædem Lustralibus æquor
Purgat aquis; mortisque genus mortem expiat ipsam;
Quæ cædem fecitque eadem quoque diluit Unda.
At Vos ô fluctus, quoniam sic cuncta soletis
Mergere Crudeles, nostram quoque mergite crimen.
Si tamen hoc moriar damnatus crimine, quonam

Extinguar

Extinguar fato? num quæ me Sylva ſecuta eſt,
Arboreumque nemus, tandem in ſuſpendia cedant,
Inque Cruces abeant? & ſic me Sylva ſequatur,
Ut ſæpe a tergo ſequitur Vindicta Nocentem?
Anne etiam terra obruerit? Lapideſque canenti
Qui fuérant Comites, fient mihi ſaxa ſepulchra?
Si mihi cauſa Necis Lyra ſit, tunc inſtar Oloris,
Et ſaltem hoc, videar dicendus, nomine, Cygnus,
Carmina quod cecini propriæ prænuntia mortis.
Crimen Ego Audivi, ſupereſt audire probatum;
An quia Merſus obit Juvenis, nos merſimus? ipſe
An feci, ut fureret, quia me cantante furebat?
Quod ſi dum canerem cecidiſſet Stella, quid ergo
Carmina de Cœlo deducere Sydera credes?
Par certe furor eſt, in me transferre furorem
Alterius: Muſas tam ſtultum eſt dicere mortis
Fortuitæ cauſas; Artique *aſcribere caſum.*
Nullum ego Carnifice effudi unquam Voce cruorem;
Vos ſoli Legum Domini, qui jura tenetis,
Vos ſoli miſeros occidere Voce *poteſtis.*
Sic fatus; Miſero, Exclamat, *nec fata merenti,*
Parcite clementes: Et Parcite *rettulit Eccho.*

Dixit

Dixit; & hanc, memini, facili candore jocosus
Imposuit Judex dicto pro crimine poenam,
Ut, quoniam Lyricum superaverat Orphea cantu,
Acceptâ citharâ Stygias invíseret oras,
Et simili arte caneus, quem demisisset ad Umbras
Cantu, illum rursus Cantu revocaret ab Umbris.

Si quis fortè roget, mihi cur dementia versus
Materiam dederit; Furor ille Poeticus, inquam,
Impulit: & prohibens Musarum in Fonte morari,
Proluere immenso me jussit in *æquore Labra*.
Adde, quòd *excludit Sanos Helicone Poeta*.
Inclyte Nervorum Rector, citharæque magister,
Quis Te digna canat? regiones Musicus Orpheus
Ibat ad infernas: Tu vertice Sydera tangis:
Et *Lyricus Vates* superas mea Carmina, solùm
Dircæi Cygni, Calamoque, & Voce sonandus.
Famæ implere Tubam valet hæc Vox Sola; trahebat
Illa quidem Sylvas; Lauri te sponte sequuntur.
Dignus es ut vivas post funera, *Memnonis* instar,
Vocali insignis Statua; tibi ut ipse superstes
Te Solus recinas, tua ut ipse Epicedia cantes;

Qui,

Qui, poſt *Demerſum hunc*, monumenta perennia Vocis,
Et citharæ laudes, *ipſis inſcripſerit undis*,
Cùm mea, per latum hoc Pelagus laudumq; tuarum
Æquor, Vela feram, pæne hic immergor & ipſe.
Nam patet in laudes vaſtus tibi Campus Aquarum;
Sed præſtat regredi, & *motos componere fluctus*.

FINIS.